



per horam vel duas morati in castello fuissemus, descendimus et reliquum tempus usque horam vespertinam juxta fontem, qui de erepidine montis ebullit, deduximus et mirabamur de aquae illius dulcedine, cum tamen insula tota in aquis amaris sit constituta. Post solis declinationem remigavit quilibet in galeam suam.

Die XXI., quae est praesentationis Mariae Virginis, antequam illucesceret, clamor ingens cujusdam lamentabiliter flentis in nostra audiebatur galea, eratque ululatus ille filii domini consulis, qui scilicet consul nocte eadem universae carnis debitum exsolvens diem clauserat extremum. Hunc non solum filius, sed cuncti, qui virum noverant, plangebant. Die facto jussit filius defuncti patris corpus in terram eductum poni in capellam, quae ibi in littore erat, super quod illic positum irruens planctum magnum fecit, et omnes galearum patroni et domini cum eo in luctu erant. Missa autem dicta in capella avulsum filium a corpore in galeam reducerunt, corpus vero medici et barbitonsores super tabulam supinum posuerunt novacula ventrem scindentes a juncturis costarum usque ad genitalia, ejicientes omnia intestina in angulum capellae sepelienda locaverunt, ipsum vero corpus aqua marina laverunt, omnem sanguinem intus et extra exterserunt. Quamvis autem vir ille macilentus esset ab extra, tamen intestina et ilia pinguisima erant, et totum corpus ab intus erat pinguedine vestitum, ac si esset pulcherrima cera obductum. Eo autem exenterato et loto quibusdam conservativis unguentis ipsum inunxerunt et copioso sale infuso sicco stramine ventris vacuitatem repleverunt et acicissuram resuerunt. In oculos autem ejus bombicem posuerunt, similiter et aures bombice obstruxerunt. Fecerant etiam loculum ex asseribus et ipsum intus et extra fervida pice undique perfuderunt, quo peracto corpus involutum imposuerunt et firmissime clavis obstruxerunt rimis picem infundentes, ita quod nec spiraculum aliquod evaporare poterat. Et his factis intestina sepelivimus in capella, loculum vero cum corpore reducerunt in nostram galeam, et in carina sub sabulo prope sentinam absconderunt, reponentes arenam et saccos specierum et alia, quae prius ibi jacerant, ita quod nemo poterat scire, ubi corpus jaceret, nisi illi, qui ipsum absconderant.

Hunc virum ante paucos dies vidimus Cairi in magna gloria et Alexandriae, sicut patet supra Fol. 85 b. Omnes quippe mori-

307

305

311

301

316

296

356

256

406

206

Ende

Anfang